

(1253) 1254, gener, 3

*Bernat d'Aiguaviva declara que Pere de Fontclara és lliure dels pactes fets anteriorment a la venda que li ha fet, de béns situats a Aiguaviva i Vilobí.*

ASD núm. 164, perg. ressenyat al núm. anterior.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus de Aquauuia, mea libera et spontanea uoluntate sine ui et praua suggestione alicuius uel dolo, per me et per omnes meos presentes et futuros, soluo te Petrum de Fonteclaro et tuos ih perpetuum de omnibus condicionibus et pactis si que uel si qua fuerunt et extiterunt inter me et te ulla racione usque hodie super illa uendicione quam tibi feci de domo de Aquauuia cum cellaria que ibi est et de manso Marie Masse et de manso Felicis de Crosa et de mansata de ipsis Falgers quam filius Bernardi Ferrarrii tenet et de borda Petri Dominici et de manso Beatricis de ipsis Oliuis qui sunt in parrochia Sancti Iohannis de Aquauuia et de quarta parte decime omnium rerum tocus parrochie de Aquauuia et de mansa Bernardi de Podio et de mansa Marchi qui sunt in parrochia de Uillalbino et de quarta parte decime omnium rerum tocus parrochie de Uillalbino et de omnibus feudis tam militum quam aliorum hominum que racione domus de Aquauuia tenentur ubicumque sint, tam in dicta parrochia de Aquauuia quam in aliis lacis et parrochiis, et de hominibus et feminis predictorum mansorum et bordarum, et de honoribus et possessionibus ipsorum mansorum et bordarum, et de omnibus censibus et agrariis et iuribus et dominiis et ceteris aliis quecumque habebam et accipiebam, et habere et accipere debebam ulla racione in tota parrochia de Aquauuia, que omnia tibi uendidi sicut melius, plenius et lacius continetur in instrumento uendicionis quem inde habes, quem cum omnibus ibi contentis et nominatis in presenti tibi et tuis lauda, concedo approbo et confirmo in perpetuum ad tuum bonum intellectum et tuorum, ita quod dicta uendicio firma et stabilis et irreuocabilis remaneat apud te et tuos in perpetuum sicut in tua carta uendicionis continetur, dictis condicionibus et pactis non obstantibus nec alio aliquo iure uel casu, ita quod de cetero racionibus predictis, pactis et condicionibus ego uel aliquis per me nullam possimus tibi uel tuis facere questionem uel demandam iure aliquo uel racione, set tu et tui sitis inde liberi et absoluti penitus et immunes ex parte mea et meorum in perpetuum. Et in presenti cum hoc publico instrumento lauda et concedo et confirmo tibi et tuis perpetuo totam predictam uendicionem omnium predictorum a me tibi confectam, sicut melius et plenius lacius continetur in instrumento uendicionis, prout melius dici uel intelligi potest ad tuum tuorumque comodum et utilitatem ad omnes tuas tuorumque uoluntates omni tempore ibi et inde faciendas, sine aliquo retentu quod ibi uel inde non facio, omnibus meis uocibus et racionibus et omnium meorum in perpetuo extinctis et penes te remanentibus, promittens omnia predicta semper rata et firma habere, atendere et complere et numquam contrauenire uel reuocare iure aliquo uel

ratione, et super hiis renuncio exceptiōni doli et metus et acciōni in factum et restituciōni in integrum et omni alii iuri scripto uel non scripto inihi et meis competenti uel competituro. Et ad maiorem cautelam predictorum omnium iuro super sancta .IIII. Dei Euangelia corporaliter tacta omnia predicta atēdere et complere et rata et firma habere et in perpetuum obseruare et numquam contrauenire uel reuocare iure aliquo uel ratione.

Actum est hoc .III. nonas ianuarii anno Domini .MCCL. tercio.

Sig+num Bernardi de Aquaiua, qui hoc firmo et lauda. Sig+num Raimundi Segel, sig+num Poncii Rubei, testium.

(s. man.) Arnallus de Sancto Martina, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 331-332